

119.  
Q. B. V.

MELETEMA PHILOSOPHICUM,  
JURIS PUBLICI,

DE

**PRÆSCRIPTIONE**  
DOCTRINAM EXECUTIENS,

QUOD

*Consensu Fac. Philos. in Reg. ad Auram Acad.*

SUB PRÆSIDIO

VIRI CL.

**DN. ALGOTHI A.**  
**SCARIN,**

HISTOR. & PHILOS. CIV. PROFES. REG. & ORDIN.  
ACADEMIÆQUE BIBLIOTHECAR.

PRO GRADU

*modeste ventilandum sistit*

**ISRAËL WALLIN,**

*Tavaßensis*

Die Aprilis MDCCLI.

Loco horisque solitis.

---

ABOÆ. Imprim. Direct. Reg. Acad. Aboëns. Officin.

JACOB MERCKELL.

*VIRO admodum reverendo atque praeclarissimo*

**DN. JOHANNI  
HORTELIO,**

Ecclesiarum, quæ DEO in Nyby colliguntur, PASTORI & PRÆPOSITO longe meritissimo, Avunculi loco, sincero animi affectu ad cineres usque devenerando.

**O**B beneficia nullo non tempore in me collata, eademque longe maxima, offero TIBI, AVUNCULE CARISSIME, munusculum crasso filo, mole & pretio exiguum; quod ut sereno adsicias vultu, sinasque in TE pietatis meæ & animi semper gratissimi interpretem esse, supplex contendo. Voluisti, VIR admodum reverende, in ære Tuo esse memet, possessione quadam immemoriali, & alterius instar parentis, TUI muneris esse spes meas. Cumque soleant parentes non tam pretii solutionem, quam amoris & obsequii significationem respicere: ut admissa, ceu chirographo, opella hac ipsa, continuationem præscriptionis indulgere mihi; signoque ad bene sperandum sublato isto, locum & opportunitatem prestare ad majora melioraque suscipienda, TEMET rogo & obtestor. Servet TE DEUS summus ille rerum arbiter salvum atque incolumem, concedat vegetas TIBI vires, sub laudanda annorum canitie, vitam longam & felicem; in sacri gregis, cujus ad aquam vitæ, ductorem & custodem TEMET esse voluit FIDELIS ab alto PASTOR, emolumentum, TUORUMQUE decus & tutamen exoptatissimum. ita voveo

ADMODUM REV. & PRÆCL. DIGNITATI TUE

*addictissimus cultor*

ISRAËL WALLIN.





APHORISMUS, I.

**T**ituli *JURIS* aut *REI* cujuscunque acquirendæ, *originarii* sunt vel *derivativi*; quorum illi dominium in res, quæ in nullius hominis proprietatem jam ante venire, inferunt. Hi autem circa acquisitionem bonorum, quæ in proprietate hominum jam ante fuere, versantur; quorumque ab uno in alterum honestè dominium transire potest.

APHOR. II.

**S**unt, qui præter *donationem*, *permutationem* & *emtionem venditionem*, proprietatis suæ in alios transferendæ modos non dari plures, neque concipi posse prætendunt. Suam illi mentem quamvis rationibus minime contemnendis superstruant: præter necessitatem entia multiplicare illi tamen minus sunt censendi, qui plures titulos admittunt, & robusta verustate nomina expungere non consilium esse existimant.

APHOR. III.

**I**nter illa tabulis veterum juris Consultorum eximenda nomina quoque *usucapionem* nuperi doctores referri volunt. Idiomate vernaculo: *ἔσθδ* dicitur, ab *ἔσθω* habere, possidere. Notio usum intendit, dominiumque rei alicujus legitimè præsumtum, cujus

capiendi jus omne non alia pacti aut instituti formulâ nititur, quam temporis præscriptione sola, ad rem persequendam recuperandamve data & determinata.

APHOR. IV.

**U**sucapio & præscriptio, quamvis promiscuè de re & negotio uno eodemque hodie accipiantur: Specialiore sensu & jure antiquo ita tamen a se invicem differre dicuntur, ut *usucapio* tribuat dominium; *præscriptio* verò exceptionem (a) in rebus præsertim incorporalibus.

(a) *Exceptio* J. Consultis Romanis est, qua reus agnoscit ex parte veram esse actoris litem atque intentionem. Ast cum cautione, quæ intentionem removet & actionem contrariam defendit.

APHOR. V.

**H**abita ratione finis universi hujus, uti non incommode quis dixerit ab homine constituto orbis domino, sub proprietatem vocari posse res creatas: Ita publicæ utilitatis causa, ex hypothetica necessitate, præscriptionis jus quoque introductum esse; idemque naturæ humanæ legibus respondere, neque temerè quis fenserit.

APHOR. VI.

**A**D omnem præscriptionem sicut *BONA FIDES* (a) primo & ultimo requiritur: Ita nisi *JUSTUS TITULUS* (b) ad transferendum dominium accesserit, ut puta: *hereditas, donatio, emptio* &c. temporis certe, quamvis longissima duratio ad consolidandum cum possessore dominium, vim per se effectricem nullam habet.



(a) *Bona fides* est sincera conscientia, unumquemque certò excusans de ignorantia rei alienæ, quam vel tradit alii, vel accipit ab alio. quemadmodum *mala fides* dicitur & est læsa conscientia, quæ accusat & convincit aliquem non ignorare ipsum rem alienam esse, quam per fraudem vel tradat vel accipiat.

(b) *Titulus* secundum definitionem J. Conf. est: *Justa & æquitati naturali consentiens possessionis causa.*

APHOR. VII.

**T**itulus est vel verus vel præsumtus. Ille est fundamentum dominiï verum & legitimum. *præsumtus* dicitur, cum alieni errore facti, ipse quis veram possidendi causam habet. Hic licet in se sufficiens non sit ad transferendum dominium; pro non insufficiente tamen haberi potest, si bona fides adsit. quo intuitu in illo quoque (titulo) transferri dominium, non improbabilis, J. Consultorum est opinio.

APHOR. VIII.

**P**otest quis incipere rem aliquam possidere bona fide & ulla sine suspitione. Potest in progressu probabiliter & cum ratione dubitare quoque: an res sua sit, nec ne? inque illo dubio eandem retinere & possidere. Ad illum verò modum comparata re, si quæ-ratur, utrum ad præscriptionis præsumtionem possessio valeat? respondemus: quatenus non tranquilla sed hæsitante animi sententia actus fundatur, pro vitioso & affectatæ ignorantia eundem omnino habendum esse, si super incerto eventu suspensam rem, sine ulla dubitatione defendere quis aggrediatur (a); & qui aliter senserit de indole dominiï & privilegiis universalissimi

juris illius, quo incommodo alieno, commoda nostra augere prohibemur, penitus non rectè informatum esse.

(a) Primi acquirentis sive, h. ndræ arfwingens hâsd  
 Entw. L. L. bof. ind. p. 138. col. 2. fin.

APHOR. IX.

**R**erum vitiosarum (a), itemque, quæ sunt & esse possunt in communione, æterna auctoritas esto. Ad ejusmodi rem in proprietatem vindicandam, præscriptio, quamvis longissimi temporis nulla valet.

(a) *Rerum vitiosarum* præscriptioni inutili & inefficaci non injustè accensetur illa præscriptio, quam superstitiosorum dogmatum suorum antiquitati prætexunt pontificii, urgentes ideo obligari orbem Christianum ad agnoscendum illorum doctrinam veram & genuinam esse, quod immemoriali præscriptione ecclesia vera & catholica inter ipsos obtinuerit. quamvis annalium minimè fluxa fide evinci possit, etiam illud gratis fingi; dum existere per singula secula plurimi, qui instituto heroico, *verae* ecclesiæ possessionem turbare ipsis, derogareque annixi sint; licet versus vim sathanæ ante tempora divino judicio determinata adeo non multum efficere potuerint. confer *Turretin Orat. I. pag. 163.* qui ex *Cypriano & Tertulliano* docet non temporum spatia, non patrocinia, neque privilegia veritati præscribere, *CHRISTUM*que non consuetudinem sed veritatem semet appellasse.

APHOR. X.

**S**unt igitur impræscriptibiles res: *sacræ actiones*, quæ ad salutem hominis divinitus sunt ordinatæ. pertinent eodem, inter alia multa, loca & ædificia quoque precibus fundendis & ægrotis reficiendis publice dedicata. Quæ verò jure pontificio ad externam speciem, ad elationis & prælationis pompam modo sunt inven-



inventa, neque nisi triumphis epularibus viam aperiunt, sicut inepta lenitate principum inter impræscriptibilia olim sunt relata: Ita ab eodem, puta principe, rectum magis informato, cum non ad usum sed plane abufum prostant, rerum sacrarum (a) censu quoque eximi possunt.

(a) Ad res humano jure nullo præscriptibiles *bona ecclesiastica* Romanenses referunt. Illorum accurandorum jus supremum nemini, nisi *pontifici*, vicario in terris numini competere ajunt. Inprimis vero *decimarum* præstationem ceu spirituale & soli DEO reservatum jus quoddam respiciunt. Illius juris possessionem sicut laicorum nemo sibi vindicare possit, nisi injuriam CHRISTO inferre dici velit: Ita *præscriptione* ab ullo neque teneri aut defendi posse urgent. Ast pro ut tempore illo, quo decimæ solvi cœpere primum, *pater familias* pro sua domo quisque sacra fecit; imo *regibus* etiam inter gentes illæ primitus solulæ fuerint: Inde per bonam consequentiam, qui cum imperio sunt principes evangelici, decimas imponendi & præscribendi jurisdictionem, sacri muneris sui non ultimam partem esse voluere. certe irreligiosi nil commisisse censendi sunt REGES SVETHIÆ, cum superarrogantiæ opera & excrescentias illas liturgiæ ecclesiasticæ nostrati expunxerunt. confer *LOCEN*, hist. Sv. edit. Francof. pag. 241. seq. item *ER. TEGELS* hist. GUSTAV. I. part. I. pag. 175. seq.

APHOR XI.

Sicut a regula divaricationum, & vitiositatum in vita humana mille modi intercurrere solent: Ita corrigendorum in contractibus *vitiorum* non minus multiplex ratio incidere & usu venire solet. Tollitur vitium, si qui mala fide egit; Domini hæres evaserit; tollitur si titulo legitimo quocunque alio cum possessione proprietas convaluerit.

APH. XII.

**C**urrit ad præfixum scopum suum *præscriptio*, si interveniens momentosa & inevitabilis res nulla cursum sistat (*a*). Quamdiu quæ cursum disturbat, actio durat, dormitat præscriptio. Subducto verò, quod cursum interpellabat, obstaculo, uti cum posterioribus recte junguntur priora, ita ad præscriptionis fluxum termini utriusque nova commissio vel sola sufficit.

(*a*) Sic bello, aut pestis tristi favente tabo, de præscriptione latæ leges interquiescunt. Neque enim temporis præscriptio aut rerum temporalium incuria obijcienda alicui, quem hostilitas, fativæ lex adamantina urget.

*APHOR. XIII.*

**A**d præscriptionem non valet mentis versus rem alienam inclinatio, neve decretum habendi animo modo factum. Sed requiritur insuper non frivola, neque ambigua præscribendæ rei declaratio voluntatis. Hinc fit ut qui rem alienam, usurpationis jure solo, quamvis satis diu possidet: *colonus, commodatarius*, licet rem alienam prolixissimè ambiat; si acciderit tamen; ut ad præscribendum idoneo titulo destituatur, ejus ad prensandum alienæ rei dominium, intentio sola non sufficiat.

*APHOR. XIV.*

**J**ura, quæ præcisè spectant ad *principatum*, uti non anquirere sibi, nedum bona fide possidere potest subditus, nisi personæ & nominis mutata professione (*a*): Ita ad tranquillandum id genus sacri ejusque possessionem, ulla neque temporis quantitas, quamvis longissimæ durationis valet. In materia contractuum  
verò,



verò, si fiat, ut cum subjectione *imperium* concurrat, aliter omnino res sese habere censenda. Ibi enim princeps spectatur non ut princeps, sed ut persona privata legibus civitatis penitus non exempta.

(a) *Accidit in imperiis identidem, ut ex civibus senatores, ex senatoribus principes nascantur Tacit. hist. I. Cap. 84. fin.*

APHOR. XV.

**P**ER præscriptionem non res singulæ solum, sed & *regna* ditionesque majores ab uno populo vel principe ad alium olim transivere, & hodie quoque transire solent. Nituntur translationes ejusmodi temporis lapsu sæpe longissimo. Adest in præsentibus sæpe bona fides & titulus possessionis. Possunt ista ad minuendam invidiam valere; quin, conferre multum ad fundandum dominium in *civitate* quoque, ubi ad usum & necessitatem civium actus imperii princeps ordinare potest. An verò inter gentes liberas, quarum una non obstringitur aliquo peculiari alterius instituto, ad justam & sufficientem acquisitionis causam valeat, non perperam a multis dubitari solet.

APHOR. XVI.

**R**ATIONEM *usucapionis inter gentes*, qui stant pro honestate tituli illius, eandem esse volunt, quæ est & esse soleat in civitatibus. Volunt niti non illam minus consensu prioris domini præsumto, qui postquam rem suam satis diu repetere potuisset, & ab altero possideri passus sit, considerationem non aliam invenire possit, quam qui alterius possessionem

nem non ægre pati voluerit. Porro, cum in statu naturali rerumpublicarum utilitatis publicæ progressui perinde repugnet, possessiones rerum in incerto relinqui: Inde in illa quoque hominum ad se invicem relatione, per *modum pæne*, temporis spatium præscribi posse ajunt longum & immemorabile, quod si circa rerum suarum repetitionem, quorum interest, neglexerint, proprietatis jure pristino neque immerito privari poterint.

APHOR. XVII.

**V**erum quod *pænam* attinet, rerum suarum non fatagentibus infligendam, prout accuratè loquendo supponit illa antegressam læsionem, qualem qui in possessione & defensione rei est, a *negligente* nullam sustinet; supponit malum passionis irrogandum a nemine nisi superiore, qualis inter diversos populos nullus datur: remanet ex illo capite non uni parti culpabile & imputabile quid adnasci, neque quod ad fundandum ab altera parte dominium aut imperium proficiat, anquiri.

APHOR. XVIII.

**U**trum ex silentio & omisso protestationis actu ad consensum & possessionis justitiam tuto inferri possit, merito dubitatur. Putat *GROTIUS*, putant alii longe plurimi, ex longinquo temporis silentio, jure præsumi animum derelinquendi, & omissa illa animi declaratione juris nostri, *injustitiam* possessionis actum *justum* evadere. Verum præterquam quod possit quis scire & videre in præjudicium suum agi quid; possit licitè etiam dissimulare de injustitia  
justum



justum dolorem (\*), cum viribus defectum aut alio quocunque casu semet impeditum videt, quo minus rem suam, secundum libertatem, ex servitute aliena vindicare queat; de *silentio*, intra quod quis sese tenet, sciendum, quod non sit illud semper indicium consentientis, sed intra consensum & dissensum hærentis identidem, imo suspendentis & pro re nata iudicium prementis sæpiusculè. Adeo ut frustra sit, qui nullo materiæ ejusque qualitatis, nullo ceterarum circumstantiarum habito respectu, de eodem, puta silentio *absolutè* præsumit, quod sine interveniente actu, qui injustitiam tollit, (a) ad domini præscriptionem per se omnino sit valiturum (b).

(\*) REINHARDI theatr. prud. elegant. pag. m. 1424.

(a) Vid. Aphorism. XI.

(b) HYNBERS supplem. hister. pol. ad an. CIÖIOCCXXXII. pag. 185. seq.

APHOR. XIX.

POSTquam de metu injustè illato & neglecta diu rei nostræ vindicatione subsumimus, quod inter gentes non minus, quam inter privatos, jus valeat ad æternam usque rei nostræ, versus hostes, vindicandæ auctoritatem: de metu destruendæ securitatis humanæ, si medium & instrumentum illud, ceu fundamentum conservandæ felicitatis universi, non amplexi fuerimus, tenendum, quod Terentiano non bene digesto similis ille videri possit, quamdiu, quæ præscriptionem dissvadent, momenta non ad ungvem omnia discusserimus. Etenim si consensu moralistarum tantum non omnium, ad actionem, si bona sit

censenda, honestas & utilitas conspirare debent; quæ  
 quæso! boni utriusque illius sperari conjunctio pot-  
 est, cum juribus & axiomatibus, quæ DEUS tribuit,  
 quis invitus exuitur. Si *noxiorum* nulla obligatio,  
 h. e. si libere & sponte noxia volenti injuria fit, si  
 sequatur præstatio: *eorum* multo minor obligatio na-  
 turalis aliqua, quæ non liberé, non sponte, sed atro-  
 cis formidine mali inductus quis admittere coactus  
 fuerit. Si *injuria* & *damni dati* prior & antiquior  
 est *obligatio*, quam *lucris* captandi ex lege facta con-  
 cessio. Si per *fraudem circumventis*, jura dant resti-  
 tutionem in integrum; pupillis inprimis, aliisque, quo-  
 rum incolumitati salus publica est implexa: quis  
 quæso! coetus, laxandæ injustæ detentionis jus, ex æ-  
 quo & bono magis urgere potest, quam populus  
 universus? cui cum in principe injuria fit, non in  
 unam partem civitatis, sed civilis corporis membra  
 in universum illa permanat. Ut quæ in hanc rem con-  
 ferri possent, argumenta plura taceamus. Nos bre-  
 viculum discursum hunc finimus effato SCHUBERTI,  
 moralis scientiæ hodie doctoris, in rem præsentem  
 gravissimo: *Quando objicitur, inquit, acquisitione per  
 præscriptionem admisa, diuturna & cruenta bella e-  
 vitari multa, a quibus, quantum fieri potest, gens qua-  
 vis sibi cavere debeat, ego potius dixerim præscriptio-  
 ne ista, si quidquam juris conciliaret, tolli omnem ju-  
 stitiam, everti omnes leges, destrui omne fundamen-  
 tum securitatis & felicitatis humanæ, & concedi jus  
 alios impune ledendi, suæque abutendi licentia in alio-  
 rum perniciem. Ceterum de præscriptioe hujus*  
 gene-



generis conferri merentur insuper præc'aræ meditationes illustris *GLAFFEI* in *recht der vernunft* pag. 811. seqq.

*APHOR. XX.*

**C**Um fit *bonos & ordo* inter eos, qui in libertate naturali vivunt, res arbitraria; *præscriptio* verò rerum, quæ in commercium descendunt, non meri arbitrii actus: præcedentiæ jura inter principes orbis terrarum, quæ ex metu potentiæ aut superstitione, una cum tempore invaluerunt, præscriptionis titulo atres blandius demulcente licet, semet ægrè tuebuntur (a).

(a) Confer de *decoro civili* perfectæ obligationis, dissertationem penes nosmet paulo ante habitam.

*APHOR. XXI.*

**A**D conciliandam *usucapioni gentium* auctoritatem divinam, trecentorum annorum possessionem in exemplum multi adducere solent, ad quam *JEPHTA* (a) provocarit in discursu super jure dominiis terræ Canaan, cum Ammonitarum rege instituto. Verum indoli & veritati rei congruè judicare magis illi sunt censendi, qui donationis supremo jure *divino* potius, quam humanæ præscriptionis titulo quocunque, jam olim regionem in jura Isrælitarum migrasse contendunt.

(a) *Judic. XI. 26.*

(b) *BUDDEI* histor. vet. test. tom. I. pag. m. 892. confer sis, qui inprimis jussu, auctoritate & auxilio divino, terram ab Isrælitis occupatam, & justo titulo possessam fuisse urget. Cum quo *OSLANDER* in *GROTIUM* conferri meretur, qui *JEPHTAM* de usucapione loquendo, probabilem rationem, urgentibus & peremptoriis immiscuisse perhibet.

## APHOR. XXII.

**P**Rivata lege regni, quamvis constitutum inveniamus, ne recuperandæ rei aut pecuniæ creditæ potestatem quis habeat, si intra præscriptum tempus, (a) præscripto modo rem repetere neglexerit. Inter gentes diversas tamen illud usu receptum invenimus, ut quamdiu tenet actor *instrumenta debiti*, omnis præscriptio cesset, etiamsi per aliquot secula neque de solutione aliqua facta fuerit interpellatio (b).

(a) *Nya Sw. Logbof. S. B. IX. 12. Deuteron, XV. 2.*

(b) Cum per summam impietatem rex Svehthiæ **CAROLUS CANIII**, finibus regni sui extrusus, Gedanum concedere coactus fuisset, accidit ut, currente nonnullius temporis commoratione Regis in illis locis, qui in civitate cum imperio essent, *PATRES CIVESQUE*, auri signati non exiguam vim ab eodem mutuo peterent, & accepti fidem, exhibitione syngraphæ, quoque obsignarent. Quamdiu in vivis esset magnanimus creditor, nominis a Dantiscanis nexus nullus fuit solutus; sed mansit in ære civitas ad ætatem usque **CAROLI XII**. nostræ ætatis gloriosissimi regis. Is bello implicatus Polonico, cum ad instantiam hæredum illustri stirpis & profapiæ, debiti præstationem urgeret, post rite probatam creditæ rei veritatem, adeo non longissimi temporis præscriptionem, argumentum in longius protrahendæ rei, civitas obtendit, ut summam conduplicatam, ad tenorem pacti conventi, in ærarium regis sine mora transferri curaverit. Super qua re conferri meretur **CAROLI XII**. regis historia abs ingenuè pio & erudito præfule D. D. Nordberg, ex annalium fide scripta & illustrata.

## APHOR. XXIII.

**Q**uamvis sint, qui jura *patrimonii divi PETRI* ad plus quam octingentos annos referant, & fi-  
en



ne illo de pontifice quoque præsumant, ad editionem titulorum non magis ipsum adigi posse, quam liberæ civitates ceteræ, quæ totidem annis res suas quietissime egerunt, nilominus cum palam constet, ad faciendam pontificum non uni delicto gratiam, ineluctabili temporum diritate Cæsares olim allectos fuisse; constet eosdem eo nunquam extensam voluisse liberalitatem, ut jus supremum & majesticum hisce dominis absolute tribuerint; quin, hodie neque possessionem sine titulo alienam, tituli *Romani* retentione perstringere intermittant: ad vindicandam tituli & bonæ fidei præscriptionem pontificis, perinde inutiliter satagere censendi sunt illius advocati, atque verba inutiliter profundunt, qui magnarum civitatum (a) hoc tempore nisum, ad vitæ non degeneris usum revocandi reditum excrecentias romanæ curiæ, obtentui dato præscriptionis titulo, morari & interpellare aggrediuntur.

(a) Perhibent rerum nuperrimè gestarum ad nos perlatae tabulæ de *Siciliae, Sardiniae, Galliae Brabantiaequæ purpuratorum* senatu, a principe suo quemlibet ad consulendum vocatum fuisse: unde sumtus arcessendi essent, quibus disiecta igne ferroque cadavera urbium restaurari oporteat? pro se verò quemque unanimi voce, quamvis regione discreta, consuluisse, *quæ perduelli castrorum & castellorum substructioni a manibus mortuis olim collata fuisse impendia, eadem, postquam una cum tempore in immensum aucta sint, in decus & tutamen imperii, præsidiorumque, quibus illa continentur, refectio, auspicio, quam ante, secundo magis hodie assignari posse, accommodarique.* Principia, quibus imitatur prudentia architectonica ista, effulgenti post

post reformationem, puriori doctrinæ deberi; & quæ pro observantia veteris possessionis & præscriptionis a papicolis regeri solent, in arcto magis versari, quam quæ, in advocatorem receptis istis, defendi queant, *respublica* quæ hodie est *literaria* non longè videt; cui muneri datum est atque concessum rem magni momenti istam ex suis originibus dijudicare, prætextus denudare & quæ veritati fraudem facere videntur, sub examen revocare.

APHOR. XXIV.

**T**Erræ Cananæ armis laceffendæ, *CHRISTIANORUM* militiæ, an vero retinendæ illius, propugnandæque, *SARACENORUM* justior causâ fuerit, anceps quæstio est. Verum cum belli sacri sui fundamentum non aliud allegare norit crucifixi signa gestans turba, quam Vaticani Jovis auctoritatem & trita locis iisdem commorationis vestigia *SALVATORIS*: ad conservandam pristinam dominationem, *præscriptionis* titulo *infidelium*, quam larvatæ pietati *fidelium*, plus boni coloris & favoris inesse dixerim (a).

(a) Sant, qui opem à crucigeris latam laborantibus fidei confortibus, defendere non dubitant; quorsum *BAC. VERULAM.* dialogus de bello sacro Turcico referri potest. Sed cum palam constet, pro primatu papæ in ecclesia orientali instaurando; ecclesiasticarum personarum, earumque libertatum defensione suscepta fuisse *passagia* hæc ipsa; quin, juris publici doctoribus tutissimum insuper visum, non alio catu defensionem fuscipere alienorum subditorum, quam quo immanem superiorum sævitiam, abs se ipse quis amoliri poterit, quæ & qualis heic nullum locum invenit: sta-



mus nos neque inviti ab illorum partibus, qui nil nisi me-  
ram injustitiam fuisse putant offensivum bellum hoc ipsum.  
Et quod attinet ad venerabilia loca divinis mysteriis olim  
deputata, en luculentum superstitionis, quæ miseros abri-  
puit, documentum! Nostra enim nil refert, iudice *CONRIN-  
GIO*, quod terrae sanctis pedibus olim calcatae, ab impuris ho-  
die ambulantur, nisi quod doleamus impietatis vim, quae di-  
vinam indignationem usque adeo commeruit; cum ubique ter-  
rarum aequè DEO acceptis & aequè propinquis caelo, nobis  
esse liceat, & perinde Domini sit omnis terrae plenitudo,  
adde Budd. select. J. N. & G pag. 123.

APHOR. XXV.

**I**N illa juris civilis disciplina, de finibus & distin-  
ctionibus dominiorum, inter veteris legiferii no-  
stri revisores & interpretes non multo ante contro-  
versia mota fuit: utrum *lapides terminales* (*Ка och  
Кор*) eorumque ab uno ad alterum relatio: an ve-  
ro immemorialis rei possessæ diuturnitas ad fundan-  
dam culti incultive ruris proprietatem, ponderis plus  
habere sit censenda? Qui pro veteri præscriptione  
pugnant, suæ sententiæ rationem omnis mutationis  
& translocationis securam esse urgent; cum quæ ve-  
terum terminorum vestigia fuerint multifariam vari-  
ari, præcipuè vero fraude & malicia hominum loco  
moveri & obfuscarî possint. Sed cum obveniant  
incommoda magis metuenda in præscriptione, inve-  
terata licet, eademquè vi, clam, precario, præcipuè  
verò domino minorenni aut absente, sensim irrepere  
& possit & soleat; quin, fundi intra alterius fines  
constituti dominium, nisi rectè limitatum, jure sibi  
nemo

nemo attribuere queat; & si quo casu rupti limites fuerint, facto adventicio novo, si ignavia absit, redintegrari nullo negotio possint: Inde in codice *FREDERICIANO* nupero pro concluso imperii sapientissime receptum invenimus, quod in latifundiis silvarum & agrorum non circumseptis, non nisi terminales lapides, aliave legitima signa sint valitura; & demum in discretis agri, prati aut siivæ portiunculis, ad immemoriam præscriptionem, itidem sepium & terminorum distinctio pro testimonio allegari oporteat (a).

(a) Cum codice legg. Roman. & Constantinopol. *IUSTINIANO* jus nostrum prope consencit. Est autem illius de re agraria hæc sententia: *Si ambitur inter duo loca, vel de termino vel agri possessione, auditores cognitionem suam interponant, eique qui pluribus annis possederit, jus reddant.*

*Si vero ANTIQUI FINES fuerint, antiqua possessio inconcussa esto.*

TANTUM.

